



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

7 Junii. 7 Idus Junii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

S. MARIA, qua hodierno tuo Norberto puritatis donum perpetuum impetrasti, & illum candidâ veste donasti: impetra mihi, ut cor mundum creet in me Deus!

7 Junii. 7 Idus Junii.

SANCTE Roberte Abba, qui, ob elemosynam Angelo, sub egeni specie latenti, datam, ab eodem, discipulos tuos omnes, duobus exceptis, cælesti æternitati inscribendos didicisti; dæmonem, fratrum tuorum acta, & orationes explorantem, vidisti; novitium, illius suggestiones non statim repellentem, ab eodem, è medio orantium, furcâ ereptum, in orcum auferri aspexisti: ipse verò mortuus, à tribus Angelis cælo inferri es visus, conspectis tunc, à tuo Confessario, duobus muris, ad cælum usque porrectis, & animâ tuâ, instar globi ignei, colucente, latrantibus contra semper iis, quos semper vincebas, dæmonibus. Latrabunt illi et contra me morientem, ut cælo non inscribar: sed ora, ut canes illi non me mordeant; verum salvus, à bonis Angelis, ad bonam bonorum, & optimi Dei, æternitatem deducar. Amen.

S. Paule Episc. pro fide Catho-
licâ exul strangulate.

S. Lycarion, qui laniatus, & vir-
gis ferreis ignitis cæsus, post alia
tormenta gladio percussus es.

Sancti Petre Presbyter, Wala-
bonse Diacone, Sabiniane, Wifre-
munde, Habenti, Hieremia, Mona-
chi.

OMNES SANCTI, &c.
pag. 320.

S. MARIA, *qua infantem mor-
tuum, tua ara hodie impositum, vita
reddidisti; ut baptizatus, feliciter mor-
reretur. Impetra mihi id, quod mihi
fortè deest, ad mortem felicissimè ob-
eundam!*

8 Junii. 6 Idus Junii.

SANCTE Medarde, egenorum a-
mantissime, contra pluviam ab
aquilâ defense; cui suis facibus
parentans cælum, diduci, pandi-
que visum, & evolans ex ore tuo,
columbæ specie, innocens anima
tua, duabus è cælo columbis comi-
tibus, volavit in cælum. Amen
pauperes, amen, quæso; ut èt me
amet Deus! Aperiam erga illos cor,
ut èt mihi morienti Deus cælum
aperiat; & animam hanc meam, ti-
midæ